

871.
4.2

DISPUTATIO
EXHIBENS
PROBLEMATA QUÆ
DAM ANATOMICA,

QUAM
ANNUENTE ARCHIATRO COELESTI
*In Inclÿta Argentoratensium
Universitate*

SUB MODERAMINE
JOANNIS ALBERTI SE-
BIZII, MED. DOCT. PROFESS.
ORDIN. ET h. t. ACADEMIÆ
RECTORIS,

SOLENNITER
Respondendo tuebitur

TOBIAS JACOBUS *Hainkel*
Memmingensis,

Ad d. 20. Mens. Septembr.



ARGENTORATI
Typis EBERHARDI WELPERI,
M. DC. LXII.





VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Strenuis, Amplif-
simis, Excellentissimis, Consultissimo, admodum Reverendo,
Clarissimis, virtute & eruditione spectatissimis, longo-
que rerum usu Prudentissimis.*

DN. ALBERTO Stammler / Reip. Ulm. Duumviro
Eminentissimo.

DN. THEODORO Schad / Reip. Ulm. Consuli Gra-
vissimo.

DN. DAVIDI Guthern / U. J. D. ac Reip. }
Ulm. Advocato & Consiliario meritif- }
simo, ibid. Assessori Consistorij, matri- }
monialis dignis. }

DN. M. JACOBO Honold / S. S. Th. Logi-
cesque P. P. atque verbi divini in templo
primario Ministro vigilantissimo.

Stipendij Haintz-
leriani Curatori-
bus Integerrimis.

DN. M. MATTHIAE Müllern / Eth. &
Metaph. P. P. & VI. curiæ Præceptoris di-
gnissimo.

DN. JOH. GEORGIO Scheler / Senatori Ulmensi Spe-
ctatissimo.


DN. CHRISTOPHORO Weickmann / Gymnas. Ulm.
Visitatori, & rerum naturalium Admiratori diligentis.

Dnn. Mecœnatibus, Fautoribus, Promotoribus, Evergetis,
Præceptoribus & Cognatis dilectissimis.

Dissertationem hanc Medicam eâ, quâ potest, ac par est,
Animi observantia ac submissione in ulterius Favoris
ac commendationis incitamentum

D. D. D.

Tobias Jacobus Hainkel / Memming. Resp.



PROBLEMA PRIMUM.

Utrum Hippocr. in epistol. ad Demetrium Regem Caput rectè statuatur humanorum morborum fontem & radicem, & maximos ab eo provenire morbos?



Rectè non ἀλόγως: idq; I. ob ejus situm: quoniam tùm externis injurijs infinitis est obnoxium, tùm internis expositum; & hoc de nomine inferiorum partium halitus ac vapores excipit, qui ob sui levitatem feruntur sursum, idque variis modis affligunt. II. ob suum temperamentum, quod frigidum est & humidum: hancque ob causam phlegmaticas, serosas atque aquosas superfluitates ad oculos, aures, nasum, asperam arteriam, fauces, pulmones, gulam, ventriculum, partes etiam externas ablegat, hisque defluxionibus plurimos & morbos, & symptomata procreare solet. Gravissimi autem affectus sunt phrenitis, apoplexia, paralysis, mania, melancholia, hemicrania, cephalæa, carus, lethargus, catalepsis, epilepsia, convulsio, &c.

II.

Num cerebrum rectè ab Hippocr. libr. de carnibus dicatur μητρόπολις frigidi & glutinosi?

OMnino. Licet enim etiam in alijs partibus glutinosus frigidusque humor reperiatur, ut in ventriculo,



triculo, intestinis, articulis &c. tamen quia in cerebro reperitur plurimus, ob propriam nativamque cerebri frigiditatem & humiditatem: ob ipsum cerebrum, quod glutinosam habet substantiam, ob evaporationem, quam ab inferioribus partibus excipit, eamque in aquas convertit: denique ob externi aëris partiumque sibi circundatarum frigiditatem, ideo non immeritò ab Hippocrate μητρόπολις τῆ ψυχρῆ, καὶ τῆ κολλώδους appellatur: & quidem ἀναλογικῶς. Etenim quemadmodum μητρόπολις, mater primaria est alicujus regionis, sic μεταφορικῶς etiam cerebrum metropolis humoris frigidi, & glutinosi, h. e. glutinosi & viscosi appellatur, quoniam illius, veluti mater aliqua plurimum gignit.

III.

Quodnam sit nervorum principium?

Aristoteles eorum principium statuebat Cor: quod falsum esse, αὐτοψία probat. Neoterici dicunt esse Cerebrum. Alij pro principio eorum habent spinæ medullam. Sunt, qui sentiant, septem paria oriri à cerebro, reliquos omnes à spinæ medulla provenire. Nec desunt, qui persuasum habent, omnes in univ ersum nervos à spinali medulla originem trahere. Dividunt enim hanc in duas partes: minorem ajunt esse in calva, majorem extrà eam, in vertebri spinæ. Nobis dicere placet, cum spinæ medulla sit pars cerebri, & cerebrum quoddam oblongum, imò velut cauda cerebri, principium omnium nervorum esse cerebrum. Nam quod est origo totius spinalis medullæ id est origo illius appendicularum, h. e. nervorum. Cerebrum autem est origo spinalis medullæ totius, Ergò & illius nervorum.

IV.

*An nervi alij sint sensifici, alij verò
motorij tantum?*

CRedimus omnes nervos habere vim, ut partibus & motum, & sensum communicare possint: quia unum omnium est principium, à quo spiritum accipiunt, ipsum nimirum cerebrum: omnium eadem est structura, & compositio, quatenus ex cerebri membranosa & medullari constant substantia: una omnium temperatura: unus spiritus animalis. Quòd autem nervi non ubique motum & sensum tribuant, id non fit, quasi alij duntaxat sensum, alij motum solùm conferant, sed in causa sunt partes, in quas nervi sunt inserti. Nam si ita sint comparatæ, ut solùm sentire debeant, quales sunt membranæ, nervi illis concessi tantùm sensum conferunt, non motum. At si ejusmodi partibus inhæreant, quæ & sentire & moveri debent, cujus generis sunt muscoli, tunc nervi utrumque tribuunt, sensum & motum. Hinc videmus, nervos v. g. sextæ conjugationis, motum & sensum præbere, scil. pro varia partium, ad quas mittuntur, conditione. Orificio ventriculi tribuit hæc conjugatio sensum exquisitissimum, non autem motum, quia in illo motus organum desideratur, nempe musculus. Eiusdem tamen conjugationis portio ad laryngem recurrens, movendi & sentiendi virtutem subministrat laryngis musculis. Falsum ergò est, quòd alij nervi sint sensifici, scilicet qui molliores sunt: alij motorij, qui duriores.

V.

Spinalisne medulla ab Hippocr. lib. de carnibus rectè medulla esse negetur?

A. 3.

Rectif.

Ratiſſimè. Ipfus etiam, ſuæ negationis ſeqq. adfert rationes, 1. quia propriè dictæ medullæ ſimilis non eſt. 2. quia membranas habet, geminam ſcil meningem, qua & cerebrum eſt tectum. At medulla offium membranis caret. 3. quoniam minimum habet pinguedinis. At talis habent plurimùm medullæ offium. His rationibus hanc quoque addimus, quoniam medulla alimentum eſt partium, quibus ineſt: ſpinæ medulla nequaquam, ſed pars eſt corporis, cauda cerebri, & quaſi quoddam oblongum cerebrum, vicem cerebri gerens. Dicta autem fuit medulla ob ſimilitudinem: quia inſtar medullæ offibus inhæret, ipſis nimirùm vertebris: & quia inſtar grandiorum offium medullæ albicat.

VI.

*An proceſſus mammillares rectè nervis
annumerentur?*

Proceſſus iſti organa olfactûs ab Anatomicis ſtatuuntur. Et ſunt quodammodò nervis ſimiles: quia albi ſunt: à cerebro oriuntur: & olfactui inſerviunt ſicut alij nervi reliquis ſenſibus. Verùm cùm extrà calvariam, ut nervi alij, non ferantur, nec productiones inſtar aliorum nervorum habeant, nervis ratione ſtructuræ annumerari non poſſunt: poſſunt autem, ſi officium eorum ſpectetur. In hominibus valdè ſunt parvi, & tenues, in brutis autem, & præſertim in canibus, longè majores. Quo fit, ut etiam homo à canibus olfactûs ἀκρίβεια longè ſuperetur, ſicut etiam alijs quibuſdam ſenſibus: juxta tritum illud diſtichon

*Nos aper auditu, lynx viſu, ſimia gultu,
Vultur odoratu, nos vincit aranea tactu.*

Scilli-

877.

Scilicet ratione perceptionis sensilium, non ratione
dijudicationis.

VII.

*An cor omnium membrorum totius cor-
poris sit calidissimum? sicut Au-
thor libri de carnibus
docuit?*

VErè dixisse videtur. I. quia fons est caloris, pluri-
mumque spiritus vitalis & sanguinis vitalis in se
habet: estque dictorum corporum ἐργαστήριον: II. quia
est in perpetuo systoles atque diastoles motu, qui
& ipse calefacit. III. quia carnem habet, sui tamen
generis, eamque solidam, & firmam, ne spiritus
facile exhalent, & ut calor fortiùs inhæreat. IV. quo-
niam calor in corde diutiùs perseverat, & quidem us-
que ad ultimum vitæ terminum: cùm aliarum par-
tium, maximè externarum, facile minuatur, imò pror-
sus evanescat: quemadmodum accidere solet in leipo-
thymia, syncope, metu, terrore, agone ipso. V. quia
calidi cordis temperatura universum corpus reddit ca-
lidum, nisi hepar obstiterit: teste Galeno in μικροτέχν.
c. 26. frigidi verò contrarium efficit, hominesque ti-
midos, segnes, minimèque iracundos & audaces facit:
eodem ibidem cap. 30. authore.

VIII.

*Utrum Author libr. de carnibus rectè asse-
veret, quòd Cor multum glutinosi-
ac frigidi in se habeat?*

Nisi diversarum illius partium ratio habeatur, vide-
tur hæc sententia proximæ esse contraria. Sic igi-
tur

tur responderi posset. Propria cordis substantia præcalida est, minimèque glutinosa. Ejus autem vasa, vena scilicet arteriosa, & arteria venosa, ratione propriæ substantiæ, non ratione contentorum, quæ sunt spiritus & sanguis vitalis, frigida sunt: sicut & membrana, qua tectum est cor: nec non & capsula cordis, sive pericardium, in quo etiam aqueus continetur humor. Glutinositas non ipsi parenchymati adscribenda est, sed pinguedini quæ circa basin cordis est copiosa satis, ut cor, quod est in perpetuo motu, humedetur, ne ante tempus exsiccetur. Glutinosa etiam sunt illius valvulae, quia membranosa: suntque tres venæ arteriosæ adnatæ: sigmoideæ appellatæ; duæ arteriæ venosæ affixæ, quæ junctæ mitram referunt episcopalem: arteriæ magnæ itidem tres sigmoideæ datæ: venæ denique cavæ orificio tres appositæ, quæ à mutua inter se compositione tricuspides dictæ. Filamenta habent plura, quæ aliis nominantur cordis ligamenta, alijs nervi *Aristotelis*: quoniam *libr. 3. de part. an. cap. 5.* scribit, esse in corde nervorum copiam.

IX.

*Uter cordis ventriculus nobilior, dexter
an sinister?*

Ratione situs videtur dexter esse nobilior, quoniam frigus in illum promptius penetrat: in istum ægrius se insinuare potest. Ut enim situs superior præstantior est inferiore, & anterior posteriore, ita dexter sinistro. Verùm sinister ventriculus cordis ratione contentorum & usus atque officij dignitate præcedit. Continet enim spiritum vitalem & sanguinem arteriosum, quæ ambo corpora & subtiliora, & puriora, & leviora sunt

870

funt sanguine ventriculi dextri: mittunturque per arteriam magnam in univēsum corpus. Hūc accedit & ista ratio, quia dexter ventriculus ministrat sinistro, quatenus illi sanguinem communicat, qui magis elaborandus, & perficiendus. Habet & sinister ventriculus vasa duo, cū dexter unicum duntaxat obtineat, venam arteriosam, cujus rami per totum pulmonis parenchyma sunt dispersi & disseminati. Nam vena cava à dextro ventriculo non oritur. Ejus enim, *πίλωσις* non in corde, sed in hepate consistit.

X.

An arteriæ à seipsis, an ab alio aliquo principio moveantur?

DE hac quæstione variæ Authorum sunt sententiæ. *Praxagoras* volebat, arterias moveri & pulsare sua sponte, à virtute *σφυρική*, quæ ipsis insita sit, non aliundè in illas influens. *Erasistratus* dicebat, moveri arterias ob cordis impulsum. *Aristoteles* opinio erat, arterias moveri ob sanguinis & spirituum contentorum fervorem. *Nos illorum* sequimur placitum, qui persuasum habent, motum arteriarum, qui pulsus est, & quidem motus duplex, diastole & systole, proficisci à cordis facultate pulsatili, quæ vitalis appellari solet. Ratio est, quoniam motus arteriarum motum cordis sequitur: ita ut quamdiu cor pulsat, pulsent & arteriæ; cessante autem cordis pulsu, cesset & arteriarum. Hūc accedit & ista ratio: quoniam arteriarum pulsus sequitur pulsum cordis in magnitudine, celeritate, crebritate, & æqualitate. Idem placitum confirmat *αυτοψία*: nam si arteria secetur transversim, tunc pars eius, quæ cordi vicina, tantum pulsat, quæ

B

verò



verò à corde est sejuncta, pulsu privatur. Principiata enim suis attestantur principiis.

XI.

Nunquid Pulmo ab interno, aut externo principio, h. e. à se ipso, vel à thorace moveatur?

Aristotelis sententia est, pulmonem motus sui principium à corde accipere. Videatur *cap. ult. lib. d. respirat.* Averrhoes credidit, pulmonem moveri vi propria, non autem sequi motum thoracis. Galenus docet, pulmonem moveri ad motum thoracis; quæ opinio nobis videtur probabilior. Rationes sunt sequentes. I. Quia si propria insitaque vi pulmo moveretur, sequeretur ablato thorace, pulmonem nihilominus moveri. At eo ablato pulmo moveri non conspicitur. Docet hoc brutorum sectio. II. Quia si pulmo motu moveretur naturali, à principio innato, motus illius non esset situs in nostra potestate. Atqui situs in illa est: quoniam illum & cohibere, & promovere, & celeriolem, & tardiolem, & crebriorem rariolemque reddere possumus. III. Quia Galenus ait, nullam invenire nos posse dispositionem, in qua thorax quiescat, pulmo autem moveatur. Item in forti apoplexia respiratio non deficeret, si pulmo moveretur ab interno principio. Atqui deficit illa, & ob illius defectum tandem ægri moriuntur: quoniam affectum est principium nervorum, cerebrum, à quo animales spiritus in musculos thoracis influere nequeunt, teste Galeno *lib. 5. loc. aff. cap. 1.* In magnis præterea thoracis vulneribus cessat pulmonum motus, durante motu thoracis.

XII.

Qualis sit motus respiratio, an merè naturalis, an merè voluntarius. an mixtus, scil. partim naturalis, partim verò voluntarius, animalis, & arbitrarius?

Hic rursus diversæ se offerunt opiniones. Nos brevitate studio dicimus mixtum esse. Etenim quòd animalis, sive voluntarius sit, exinde liquet, quia prohibitu nostro respirationem excitare & sedare, crebriorem, & rariorem, velociorem & tardiorem, majorem minoremque illum facere possumus. Sequitur enim motus iste, quoniam thorax à musculis suis movetur. Musculi autem voluntarii motus sunt organa. *Quòd idem motus etiam ex parte sit naturalis, ex eo constat, quia nemini licet respirationem pro voluntate sua prorsus cohibere. Rectè ergò cum Galeno l. 2. de motu musculor. c. 6. statuitur, respirationem motum esse mixtum: animale, quoniam fit beneficio musculorum thoracem moventium: ad cuius motum sequitur motus pulmonis. Naturalem, respectu finis, qui est caloris in corde conservatio. Cujus cum maxima sit necessitas ad vitæ continuationem, maxima quoque necessitas sit respirationis est necesse. Propterea Galenus loco allegato rectè scribit, voluntarios motus esse duplices: alios planè liberos, alios verò affectibus corporis servientes. Illos perpetuò absque impedimento à nobis fieri dicit: hos non semper, sed in quodam tempore & mensura.*

*An homo aliquandiu vivere possit
sine respiratione?*

Vulgaria, trita & usitata sunt dicta, quamdiu vivimus, tamdiu nos respirare: & vitam ac respirationem pari passu ambulare. Verum mulieres hystericæ, quæ ad summum hystericæ affectionis gradum pervenerunt, respiratione carere videntur. Jacent enim instar mortuarum, sine sensu, motu, principibus functionibus, pulsu & respiratione, & quædam tamen illarum reviviscunt. Respondetur, nullum hominum, qui sano est corpore, absque respiratione vivere posse: quoniam calor illius ventilari debet: aliàs suffocatur & interit. Atqui illa caloris ventilatio fit in inspiratione & attractione aëris frigidi. Debent etiam evacuari fuligines, quod fit in expiratione, & ita calor rursus ventilatur, licet duntaxat per accidens. Hystericas scæminas quod attinet, ipsa quidem *ἀναπνοή* in illis desideratur: manet tamen *διαπνοή*, perspiratio illa, qua calor & spiritus nostri ventilantur. Magno autem refrigerio opus non habent, quia calor illis est exiguus. Unde & affectus earum, qui strangulatus, sive suffocatio ab utero dicitur, refrigeratio totius corporis à Pragmaticis appellari consuevit.

*An amplitudo venarum signum calidi
hepatis rectè dicatur, angustia
frigidi?*

ITa docet Galenus in *μικροτέχνη* cap. 37. Et probabiliter hoc dicit: quia sicut caloris est dilatare & amplificare,

881.

ficare, ita frigoris est constringere & coarctare. *AUTO.*
Via præterea ostendit, frigidioris temperaturæ qui
sunt, quales sunt phlegmatici & melancholici, venas
habere angustiores: contra calidioris naturæ homines,
ut cholericos & sanguineos, venis præditos esse angu-
stioribus. Fœminas denique, quæ viris sunt frigidi-
ores etiam vasa & venas angustiores obtinere, mani-
festum est. Sanguis denique à calido hepate genitus,
fervidior est. Ideoque etiam venas, in quibus conti-
netur, amplificat.

XV.

*An vesicula fellea ad se ex hepate
bilem trahat.*

JN confesso est, vesiculam istam hepatis cavo esse
Jannexam, & in se biliosum excrementum semper
habere. Quæritur ergo, an sua sponte excrementum
istud ad vesiculam abeat? an ab ea attrahatur? an ab
hepate ad illam pellatur? an partim eò ὠσει, pulsu he-
patis, partim ἐλξει, tractu vesiculæ, concedat? Re-
spondemus, bilem sponte sua ad vesiculam non abire.
Nulla enim ratio dari potest, cur ad eam potius, quàm
ad aliam partem se conferat. Nec à vesicula bilem at-
trahi credimus, quia purum putum excrementum
est, nutritioni minimè destinatum, cùm ipsa suas ha-
beat venulas, sanguinem sibi offerentes pro alimonia.
Arbitramur igitur, pelli eam ab hepate ad vesiculam.
Propterea etiam illi alligata est, ut eò illi esset vicinior.

De vesica idem statuimus, quòd urinam ad se non
trahat. Renes autem per venas & arterias emulgen-
tes ferum ex genere venoso & arterioso ad se pellici-
unt, non quidem, merum ac sincerum, verùm san-



guini admistum, hunc, ut eo alantur: illud ut per carunculas transcoletur in fistulas ureterum, & ab his ad ipsos ureteres perveniat, indeque tanquam per canales & tubos ad vesicam ablegatur: in qua urina tamdiu manet, donec quantitate sua vesicæ sit gravis, & qualitate sua acri ac mordaci illam ad excretionem irriter: quod quando fit, vesica se contrahit, orificium ejus aperitur, ipsaque urina incidit in urithram, & effluit. Est etiam vesica longè à renibus distita, ut credibile non sit, tantam isti corpori membranoso, frigido, exanguis ferè, & debili, inesse facultatem attractricem, ut quotidie, & quidem multoties, tantam urinæ copiam attrahere valeat, quantam illam emittere videmus.

XVI.

Num hepar jure merito in principum partium albo reponatur?

Maximè: quoniam conditiones & requisita habet partis principalis. I. quia totum corpus per sanguinem à se confectum nutrit, fovet, atque sustentat. II. quia famulos & ministros sibi habet adjunctos, quorum ministerio utitur in depuratione & mundificatione operis sui, nimirum sanguinis, quem ab excremento bilioso, melancholico, & aquoso repurgant. III. quia canales sanguinis à se ortos ablegat ad omnes totius corporis partes, ut inde habeant, quo alantur. IV. quia hepate benè se habente, benè etiam esse solet partibus reliquis: ægrotante autem, ipsæ quoque ægrotare solent: quia sanguis ad illas ab hepate mittitur vitiosus, Malè igitur nutricantur.

XVII.

Sitne lienis aliquis usus & necessitas?

E*Rasistratus* lienem frustra conditum esse putavit, *Aristoteles* illum ex eventu solum necessarium esse duxit. *Plinius* arbitratus est, spiritum vitalem, & sanguinem subtilissimum, vitalis spiritus materiam, præparari, inde per lienis arterias ad sinistrum cordis ventriculum ferri, ibique perfici, & perfectum in arterias, tanquam aquæ ductus refundi. *Galenus* statuit, lienem ad fæculenti & melancholici sanguinis expurgationem esse fabricatum. *Hippocrates* illi sedem & domicilium aquæ assignavit: quæ causa est, quòd lienosi ut plurimum sint sputatores, sudatores, & urinatores, qui crebrò urinam mittere solent. *Galenus* opinionem non prorsus repudiandam esse credimus. Limosos enim, fæculentos, & melancholicos succos lieni inhære, multa docent. I. lividus lienis color. II. frequentes illius obstructiones. III. crebri tumores scirrhusi. IV. icterus niger. V. melancholia hypochondriaca. VI. febris quartana. VII. metus & tristitia, quæ animi pathemata lienosos plerumque vexant: reliqui affectus crassi, fæculenti, & melancholici humoris sunt progenies, & ut plurimum à liene proficiscuntur. Non inficiamur interim, quin idem lien cœnosas & aquosas chyli portiones ad se trahat, & quantum licet, concoquat: quod autem coquere non potest, ad loca alia amandet: v.g. ad ventriculum per vas breve, ad hæmorrhoidales venas, ad urinæ, ductus &c.

*Cur Hippocrates lib. de oss. nat. affirmet
quòd renes formam, sive figuram
habeant cordis?*

Respondet ipse, similes esse cordi in eo, quoniam
ventriculos obtinent: & quidem, ut Neoterici
Anatomici docent, duos: exteriorem, in quem vasa
feruntur, & ureteres egrediuntur: & interiorem,
quem membrana succingit. Verùm, maxima est in-
ter cor & renes dissimilitudo, & ratione figuræ quæ
cordi est pyramidalis, renibus autem, ut ita loqua-
mur, phaseolaris: quoniam phaseolum repræsen-
tant. Exteriùs enim gibbosi sunt & rotundi, interiùs
cavi: & ratione officii, & ratione contentorum, & ra-
tione sitûs, & ratione aliarum rerum.

XIX.

*An urinae in vesica retentio & excretio
virtute fiat naturali, an
animali?*

Constat, serum per arterias & venas emulgentes de-
ferri ex venis & arteriis ad renes: at non merum
ac purum, sed sanguini permistum. Sanguinem re-
nes pro sui nutritione retinent: serum autem ablegant
ad carunculas illas minutissimè perforatas, quæ papil-
lis mammaram similes sunt, & colatoria vocantur.
Eas ureterum fistulæ, quarum nunc plures, nunc pau-
ciores sunt in renibus, amplexantur, serum excipiunt,
& ad vesicam, tanquam ad lagenulam, aut matulam
aliquam per ureteres deducunt, in qua tamdiù asser-
vatur,

85

vatur, donec illa ad excretionem sollicitetur. Jam
quæritur, an retentio urinæ animalis, an naturalis sit?
Respondemus, animale esse, quoniam fit benefi-
cio musculi sphincteris, qui ostium vesicæ constringit
& coarctat, ne nobis invitis, & intempestivè urina ef-
fluat. *Excretionem* verò quod attinet, dicimus, illam
& naturalem, & animale dici posse. Naturalem ra-
tione fibrarum vesicæ transversarum, quæ expulsionem
etiam in aliis partibus sunt destinata. Animalem, re-
spectu muscutorum abdominis, & præcipuè illorum,
qui à figura pyramidales nuncupantur. Hi enim ab
externo pubis osse carnosus orti, capita rectorum ab-
dominis muscutorum conscendentes tendine suo in
lienam albam desinunt. Dum enim versùs suum prin-
cipium se contrahunt, breviores evadunt: breviores
facti, crassiores fiunt, subjectasque partes, & conse-
quenter etiam vesicam comprimunt: qua compres-
sa ostium illius aperitur, & urina in urithram deriva-
tur, indeque foras elabatur. Aliquando autem desunt,
sed illorum vices agunt rectorum capita, qui & ipsi
se contrahendo vesicam premere solent. Est autem
urinæ excretio magis animalis quàm naturalis.

XX.

An uterus moveatur?

Respondemus uterum moveri sursum, deorsum, &
ad latera. Hos enim motus foemina interdum
sentiunt. Illæ præsertim, quarum vincula, sive liga-
menta uteri sunt laxiora. In illis enim, quoties ute-
rus irritatur, sursum, deorsumve, aut in alterutrum
latus se contorquet. Irritatur autem aut rei præterna-
turam, quam in se continet, aut externæ ejusque ad-

C

versa



versa molestia. Tunc quippe laceffitus, & quasi succensens de proprio loco decedit, alias in aliam partem oberrans, ut quod inimicum sibi est, fugiat, quod gratum & jucundum sequatur. Estque motus iste non voluntarius, quia per musculos non fit, sed naturalis, & facultatis expultricis, vel attractricis, pro ratione objecti: qualis etiam se in ventriculo offert. Rei namque alienae injuriam laceffitus magno impetu eam vomitione excutit. Fame vero exinanius, jucundo cibo quasi gestiens occurrit, huncque ab ore vix dum prae mansum eripit, ereptumque avidè adeò continet, & arctè amplexatur, ut undique contractus in illum totus incumbat.

XXII.

An membranae sint tactus instrumenta?

Aristoteles videtur organum tactus ignorasse. Modò enim dicit esse carnem: modò nervum: modò aliquid intus. Sed quid illud sit, non exprimit. Nos cum docta & erudita Medicorum schola credimus, membranas, quae partes sunt viventes & spermaticae, in id partibus à Natura datas, ut eas tegant, muniant, & partes à partibus distinguant, organa tactus esse. Ratio hæc est: quoniam ubi sensus tactus est, ibi & membrana existit: & vice versa, ubi membrana, qualis jam est descripta, se offert, ibi est & sensus tactus. Cerebrum etiam beneficio suarum meningum sentire dicitur: & nervi ejus similiter ob meningas sensu tactus prædidi judicantur. Cutis membrana quoque, sed crassa, & membrana sui generis esse perhibetur, quoniam membranæ requisita & conditiones habet.

Nam

887.

Nam more membranarum tegit, investit, involvit, colligat, defendit, albicat, sentit exquisitè, & extensibilis est. Differt tamen ab alijs membranis non parùm in crassitie, temperamento, materia generationis, figura, poris, pilis. Et differt maximè à cuticula: quæ insensilis est, venis, nervis & arterijs non, ut cutis, prædita: & neque ex sanguine, neque ex femine genita. Non ex illo, quoniam non rubet, non calida est, humida, ut partes sanguineæ. Non ex hoc, quia deperdita infinities regeneratur: id quod manifestum est in scabiosis, leprosis, ulcerosis, vulneratis, lue Venerea infectis, variolis laborantibus, alijs.

X XII.

*Quenam pars in musculo sit primaria
causa actionis, quam musculus
exercere dicitur?*

Constat ex Galeni doctrina, quòd in organica aliqua parte variæ quidem sint partes, una tamen sit, quæ primaria sit actionis causa. Cùm igitur in musculo partes reperiantur variæ, membrana musculum tegens, & illum ab alijs musculis disterminans, venæ, nervi, arteriæ, tendines & caro fibrosa, quaeritur non immeritò, quæ illarum sit causa voluntarii motus, actionis musculi, primaria? Respondetur esse illam, cui similis alibi non reperitur. Talis autem caro fibrosa est. Rectè ergò concluditur, illam primariam motus voluntarij, qui actio est musculi, causam esse. Nam de membrana, nervis, venis, & arterijs nihil dicere attinet. Nemo enim adeò rerum anatomicarum ignarus est, qui partes istas dicere ausit, voluntarij motus esse organa: cùm specie similes et-




iam alibi conspiciantur, quæ tamen voluntariè non
 movent. At ubi caro est fibrosa, ibi esse potest mo-
 tus *προαιετικός*. Ubi illa desideratur, ibi etiam nul-
 lus talis potest excitari motus. Tendines caudæ sunt
musculi: at primariæ motus voluntarij causæ dici ne-
queunt, quoniam musculi reperiuntur, qui tendini-
bus carent: ut sunt lumbricales digitorum manus,
 sphincteres vesicæ & intestini recti, linguæ, labiorum,
 quidam alij. *Hanc fibrosam musculorum carnem* princi-
 palem esse motûs voluntarij causam, hoc etiam argu-
 mento probari potest, quoniam illa vel dissecta, vel
 ulcerata, vel tumefacta, motus impeditur. Et licet
 idem etiam dici posset de nervis, tamen illi duntaxat
 vectores sunt spiritus animalis, qui ad motum exer-
 cendum est necessarius. Tantum autem roboris ner-
 vi non habent, ut grandiora gravioraque membra,
 v. g. artus superiores & inferiores, movere valeant.
Hic accedit, quòd motus fiat secundùm fibrarum mu-
sculorum ductum, non secundùm nervos, qui varijs
modis in musculos inseruntur.

XXIII.

Præbeant ne ossa, ut Hippocrates lib. de ossi-
nat. docuit, corpori stabilimentum,
rectitudinem, & τὸ εἶδος,
figuram?

OMninò. Stabilitatem, τὴν εὐσθίαν illi conferunt, quia
 corpora sunt sicca, dura, solida ac firma, quasi
 fulcra & columnæ. Sunt quoque ob eandem cau-
 sam velut propugnacula, quæ adversus impetus vio-
 lentos corpori robur præstant. Rectitudinem, τὴν ὀρθο-
 τῆτα, corpori dant, quia animal rectum sine ossibus
 stare.

880

stare non posset, sed repere vermium, aut serpentum
more haberet necesse. Membra enim carnosa in se
collaberentur, si stare erecta cogerentur. Denique
etiam figuram, *ad* , corpori exhibent ossa. Nam
qualia sunt ossa in figura, talia sunt & membra, qui-
bus ossa concessa. Hinc artus longi sunt, quia talia
sunt eorum ossa. Caput rotundum est, propter ossa
sua. Alia membra sunt lata, triangularia, quadran-
gularia, &c. quoniam ossa eorum simili sunt figura
prædita.

XXIV.

*An Hippocratis probanda sententia, quan-
do libr. de alim. scribit, medullam
esse ossium nutrimen-
tum?*

Verè illum scripsisse affirmamus: quia si hoc me-
dullæ denegetur, non apparebit, cui bono ossi-
bus sit indita, cum sciamus, in omnibus ossibus vel
medullam esse propriè dictam, quæ alba est, & in ca-
vitatibus ossium manifestis ac evidentibus consistere,
vel succum quendam, ut sic loquamur, medullosum,
qui oleagineus, dulcis, & rubeus est, & in cavernulis
& meatibus ossium delitescit.

XXV.

*An partes similes organa partesque
organice dici possint?*

Usitatum quidem est in scholis Medicorum, quòd
dissimilares solummodò partes organa & orga-
nicæ partes appellentur. Verùm, si organum secun-
dum *Galenum libr. 1. meth. med. cap. 6.* ea est animalis

C. 3.

pars

pars, quæ perfectam edere potest actionem, causa nulla esse videtur, cur non etiam similes dici possint organicæ, cum omnes vivant, & actionem aliquam edant, si non publicam, saltem propriam atque privatam, cum æquè, ac dissimiles, animæ inserviant. Per illas enim anima efficax est: & propterea ab *Aristotele* actus primus corporis naturalis organici definitur: ubi omnes illius partes intelligit.

XXVI.

Quid sentiendum de dicto Hippocratis, quòd libro de alim. extat: corporis raritas homines facit saniores: densitas autem morbosiores?

Ratio *Hippocratis* est ista, quoniam porositas & raritas corporis in causa est, ut vapores & fuligines liberè transpirare queant. Retentæ enim multorum malorum sunt genitrices. Contrarium facit densitas corporis habitus, quoniam perspirationem impedit: eoque magis, quò densitas est major: minùs, quò est levior. *Addi potest & ista ratio*: quoniam per sudores sæpè multi noxij humores, morborum multorum, ac præcipuè febrium causæ, evacuantur. At quò habitus corporis est rarior & porosior, sive apertior, eò uberius sudor effluere potest: quo verò densior, strictior atque compactior, eò is minùs exire solet. *Licet & tertiam* subjungere causam: quoniam ventilatio humorum, spirituum, & caloris melius fieri potest in corporis habitu raro, quàm in denso atque stricto.

Dicto *Hippocratis* addimus, poroso & raro corporis habitu præditos, citiùs, faciliùs & magis affici posse

F. 1.

posse à causis externis, præsertim à frigore, minùs
habitum compactum: magis autem à causis internis,
quoniam frigus in illum promptiùs penetrat: in istum
ægrius se insinuare potest.

Ornatissimo Domino Respondenti
salut. plur.

Versiculos à me petisti, dulcis Amice,
Illos non potui jure negare tibi.
Versiculis igitur tantùm tibi gratulor, atque
Aeternum Dominum supplice mente rogo,
Adspirare tuis lenem conatibus auram
Dignetur, nec non prospera quaque dare,
Quò cœptam telam possis absolvere, & oras
Ad patrias quando veneris incolumis,
Exhilarare Patrem, salvosque videre propinquos,
Accipere & studijs præmia digna tuis.

Melchior Sebizijs, D.

F I N I S.



842

prose à cause de l'usage, par lequel à l'usage, ainsi
habitant de la ville de Magdebourg à cause de l'usage
de la ville de Magdebourg à cause de l'usage
de la ville de Magdebourg à cause de l'usage

Omnibus Domini Respondenti
Iste plus

V. Et sic de me p[ro]p[ri]e, dicitur
Iste non p[ro]p[ri]e, dicitur
Iste non p[ro]p[ri]e, dicitur
Iste non p[ro]p[ri]e, dicitur
Iste non p[ro]p[ri]e, dicitur
Iste non p[ro]p[ri]e, dicitur
Iste non p[ro]p[ri]e, dicitur
Iste non p[ro]p[ri]e, dicitur
Iste non p[ro]p[ri]e, dicitur
Iste non p[ro]p[ri]e, dicitur

Electio Zebrina P.

F. I. N. I. S.




01 A 6507

ULB Halle 3
002 937 859



01 A





87.
4.2

DISPUTATIO
EXHIBENS
PROBLEMATA QUÆ
DAM ANATOMICA,

QUAM
ANNUENTE ARCHIATRO COELESTI

*In Inclÿta Argentoratensium
Universitate*

SUB MODERAMINE

JOANNIS ALBERTI SE
BIZII, MED. DOCT. PROFESS.

ORDIN. ET h. t. ACADEMIÆ
RECTORIS,

SOLENNITER

Respondendo tuebitur

TOBIAS JACOBUS *Hainkel*
Memmingensis,

Ad d. 20. Mens. Septembr.



ARGENTORATI
Typis EBERHARDI WELPERI,
M. DC. LXII.



(36)
ingem
EUS O
(medic
is ut jar
testes,
tam ve
in pract
aut neq
n exhan
huc inv

D.

